



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

7 Profeßio privata, quomodo damoni fiat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

**P**LURA sunt genera criminum, & de quibus proximè egimus, & inter alia obiter de sortilegio verba fecimus, quod cum gravissimum sit crimen, ac plurius, variisque modis committatur, de eo juxta illius gravitatem particulariter est ageandum.

1 Sortilegium ¶ est superstitio quædam illusoria, & summè noxia, qua regulariter utitur homo dæmonis ministerio, *cap. qui sine Salvatore, 26. quest. 2. capit. 1. eadem quest. 5. capit. 1. & 2. de sortil. & Gril. tract. de sortileg. numer. 1. & numer. 5.* Professionemque etiam plures cum dæmone faciunt.

2 Professio ¶ autem sortilegorum est duplex, tacita, & expressa, intelligendo de professis cujuscunque speciei.

3 Tacita ¶ est promissio quædam, quam quis facit alicui sortilego magistro hanc professionem nomine dæmonis recipienti de observando, quæ sibi mandaverit, sub promissione, quòd grandia faciet, & mirabilia, futuram in vita sua cognoscer, dummodò fidem catholicam abijciat, & omnia ecclesiastica sacramenta conculcet, quodque totis ejus viribus adhærebit cultui, & obedientiæ sui magistri, ac illum, tanquam verum Principem, adorabit, cultum veræ adorationis sub idolorum forma sibi præstando, cunctaque opera per ipsum facienda sub illius nomine, & devotione conficiet, *Gril. de sortileg. lib. 2. c. 3. num. 2. & 3. & facit text. in cap. nec mirum, §. hidromantici, vers. ad hæc omnia, 26. quest. 5. & sum. confess. de sortileg. quest. 3. & 6.*

4 Expressa ¶ professio illa est, quæ fit expressè cum proprio dæmone, aut solemniter, & publicè, aut privatè; solemniter, &

publica est illa, ¶ quæ fit cum dæmone, dum publicè residet in folio majestatis, more Principis, quando fiunt universales congregationes omnium strigum, & maleficorum necromantum cujuscunque generis professorum, certis nocturnis horis, locis, & temporibus dæmonis arbitrio constitutis, ubi universis astantibus, fit ista professio.

Qui ¶ autem expressam professionem cum ipso dæmone fecerunt, eidem etiam reddunt expressum adorationis cultum per solemnia sacrificia, quæ ipsi faciunt diabolo, imitantes in omnibus divinum cultum, cum paramentis, luminaribus, thurificatione, ac præcibus quibusdam, & orationibus, quibus instructi sunt, assiduis, illum non secus ferè colunt, & adorant, quàm nos verum creatorem, *cap. contra idolorum, 26. quest. 5. gloss. in c. accusatus, §. sanè, in verb. sapient, de heret. in 6. Gril. eadem quest. 3. numer. 4. & 5.* per quæ honor patriæ dæmonibus exhibetur. Direct. Inquisitor. *quest. 43. numer. 2.* quæ latría est cultus, & servitus, quæ soli Deo debetur, *gloss. in clem. unic. in verb. seipsum, de reliq. & venerat san. gloss. in c. venerabiles, de consecr. distinct. 3. S. Thom. 2. 2. qu. 84. artic. 1. ad 1. arg. & Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. c. 2. num. 1.*

7 Privata autem professio ¶ est illa, quæ fit privatè ipsi dæmoni solùm, absque illa universali sortilegorum congregatione & multitudine, ut per eundem Gril. *d. qu. 3. lib. 2. & Farinac. in pract. criminal. c. 20. numer. 77.* apud quem plura de sortileg. videri possunt.

8 Dæmonibus ¶ honorem patriæ exhibentes, seu eorum nomina inter nomina spirituum Beatorum; vel Sanctorum in suis